Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

natus es uenire. sed timeo ne poci[us] diabolus sis. Angelus domini dixit. Non sum diabolus noli timere.
Sanctus constantius dixit. Ergo si angelus dei es. fac tibi signaculum christi cum digito in fronte. Angelus
uero domini fecit signum sancte crucis in fronte. Sanctus constantius dixit. Domine deus gratias tibi ago quia dignatus
es ad me indignum. angelum sanctum tuum mittere. et plagas quas mihi ingesserunt refrigerare.
mihi uero iam non timeo. Illi uero nec uidebant nec audiebant. quando ille cum angelo loquebatur.
Aspicientes autem in dorso eius. nullas contusionum cicatrices inuenerunt. dixeruntque forsitan
magus est. Abierunt igitur in ciuitatem asisinati. et tulerunt inde alios uinctos. et abierunt et uenerunt
ad ciuitatem spoletanam. que dicitur spellus. Beatus uero constantius proiecit se in terram. in faciem suam
orans et dicens. Domine ubi est ille angelus quem ad me indignum transmittere dignatus es? Angelus
uero domini dixit. Noli timere. sed erige te et ambula usque ad locum ubi spiritum redditurus es. Ego tecum
sum et custos anime tue. ego accipiam spiritum tuum et deducam eum in paradysum dei. ubi sunt sancti in de
liciis et gaudio pleni. Et erexit se constantius. Et percuciens fuste caput sancti constantii qui eum
trahebat dixit. Quales magicas in terra iacens percantas. Cumque uenirent persalaliam. locutus
est unus ex eis et dixit. Interficiamus eum quia magus est. ne pereamus per magicam eius. ne forte occidat nos.
et tollat a nobis uinctos quos ducimus. Venerunt itaque in triuium fuliginatum non longe a ciui
tate. unusque ex eis irruens dixit. Hic est locus quem diximus. Et percuciens gladio amputauit
caput eius. Neque longius demorati. dereliquerunt corpus. et abierunt in ciuitatem spoletanam.
Erat itaque homuntio egenus nomine. quem uocauit angelus domini in somno. dixitque ei. Surge
diluculo et uade in triuium fuliginatum. et tolle corpus quod inueneris. et sepeli illud. Ipsum est
enim summa diuiciarum tuarum. opulencia. et tocius commoditatis uite tue. et habebis propter illud por
cionem in paradyso. Ille autem surgens diluculo abiit in triuium fuliginatum. ubi erat adhuc ille
angelus. qui illud custodiebat. animam uero corporis eius ea specie que corporalibus oculis uideri ualeret.
autem se tenebat. Pre timore autem homuntio ille cepit se subtrahere. sicque factum est ut multis
milibus angelorum psallencium comitantibus cum gaudio magno proueheretur ad celum. Homun
tio uero suprascriptus. cui nomen erat leuianus. secundum morem utique patrie ex qua non solum bino
mii. sed etiam trinomii solent procedere. perrexit ad corpus et cecidit in faciem suam orans et dicens.
Domine deus christianorum si famulus tuus est iste cuius corpus inueni hic. fac uirtutem tuam et presta
mihi solacium ad portandum illud. Et erigens se eleuauit eum. Et statim obuiauerunt ei
duo homines inter se legantes. Dixeruntque. Unde affers tale cadauer? forsitan christianus
fuit. Ille autem dixit. Christianus. Dixit autem irrisor unus eorum ad socium suum. Iura mihi ad istud corpus
et dimitto tibi illam ex qua conqueror pecuniam. Ille uero gauisus. iurauit et dixit. Per istud cada
uer mortuum. si non sum talis ego qualis est iste aut deus istius. qui sic audeis esse occisus. non sum reus
ex qua conquereris noxa. Statimque excecatus est. Leuianus uero leuauit corpus sancti constantii. Et
ecce obuiauerunt ei ceci. qui lumen numquam uiderant. Odor uero inestimabilis. exibat de
corpore. quasi aromatum preciosorum. Ceci uero dixerunt. Qui odoramenta portas domine leuiane?
Ex quo nati sumus tale odorem numquam sensimus. Leuianus uero deposuit corpus. et dixit ad eos.
Corpus est istud quod ego humeris meis portare desidero. Ceci dixerunt. Ergo christianus
es? Ille dixit. Christianus. Ceci dixerunt ad pueros qui eis ducatum prestabant. Ducite nos